

Seraphim; non est ergo dubium, quod eum, & superiora damnauerint, quem inferiora damnauerunt.

27. Genes. 7.

Omnes creaturae pro Deo aduersus peccatores pugnant.

August.

28.

Apoc. 12.

Sophon.

Omnia elementa insurgunt contra hominem.

QUESTIO IV.

Quare Sol regius Planeta primo, & ante omnia obscuratur?

29.

PRATER rationes superiori quaest. datas, ad hanc difficultatem sic primò respondeo. Sol regius planeta, interque caelestia astra princeps maximè splendidus, fulgorum origo, opulentum caelestis luminis conceptaculum obscurabitur, apparebitque niger tamquam faccus cilicinus, Apocal. 6. num. 12. Vt inde deprehendas, quòd nulla est mundana gloria tam resplendens, quæ suam eclipsem non patiatur, omnis enim suam sordidam mutationem cum luctu, moerore, ac tristitia patitur, ipsamque turpes alternationes concomitantur, ac sequuntur. Vide supra cap. 21. num. 9. 10. & 11. & cap. 29. n. 75.

30.

Secundò. Obscurabitur Sol. Ipse enim modo radios splendidiæ suæ lucis communicat stellis, & Luna. At verò cum appropinquauerit iudicij tempus suprema diuina dispositione. Luna tota facta est sicut sanguis. Citato Apocal. loco. Stellæ autem, cadent de celo. Luna Dei manu facta sicut sanguis, Dei etiam manu impedita est ad fulgorem Solis excipiendum; stellæ verò cum verè ca-

Apoc. 6. Omnia mundana Sol alypsatur.

dunt, vt voluit Chrysostomus & alij, de quo quaest. 6. maximè elongantur à Sole, vt eius lucem vberimè emendicare impediatur. Cum ergo Sol planetarum princeps, largitate illustris, dum fulgurum radios sideribus, quibus præest, non impertit, ac communicat, sed à solita beneficentia in suos cessat, inde pro magno regum documento, ipse totus sordidus, ac obscurus perhibetur; ac si ipse fulgeat non solum suis radiis, sed etiam benefica suæ lucis communicatione in astra, inter quæ principatum habet, cum ergo à sua generosa largitate cessat, etiam à suo splendore expers habetur. Hæc moraliter dixi, vt inde deprehendas, quòd rex suorum donorum largitate cotuscat, illorum verò priuatione totus scedatur, ac obscuratur. Vide supra cap. 4. num. 5. cap. 8. n. 77. cap. 24. num. 9. 10. & 11.

Chrysost. Si rex à beneficentia cessat obscurus, ac sordidus fit.

31.

Tertiò. Sol nunc fulget, & resplendet ad gratiam, illius radiis, ac fulgore maximè homines recreantur, ac lætantur, illiusque benigna influentia nutriuntur, ac sustentantur. Sol conuertetur in tenebras, ac fiet niger tanquam faccus cilicinus; ò ingens rigor diuinæ iustitiæ! vt Sol, qui sua luce mirificè recreabat homines suo aspectu eos terrificet, & totus in moerorem, ac tristitiam mortalium conuertatur, & qui erat tanquam eorum parens nutricius, fiet illorum carnifex, & tortor. Acclamatur Iehu rex Israel, statim omnes populi ei præstant obedientiam, promittentes se facturos quæcumque ipse eis præciperet. Tunc eis mandat Iehu, vt iugularent septuaginta filios Achab, quo facto eorum capita ad Iehu adduxerunt. Porro filij regis septuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur. Cumq; venissent literæ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum, 4. Regum 10. num. 6. Ad hoc vt impletur Dei verbum, quod per Eliam dictum fuerat. Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & claudum, & ultimam in Israel, 3. Regum 21. n. 21. Sat erat quod omnes filij Achab interficerentur vel ab aliquo hoste, seu infidiatore. Non tamen sic perierunt, sed per suos consanguineos, ac nutricos iugulantur; Achab, vt ait Textus: Non fuit alter talis, sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini, citato cap. 21. num. 25. Cum ergo Achab malitia aliorum delicta superexcederet, sic & eius poena aliorum supplicia transgreditur, & ideo eorum filij trucidantur non per hostes, sed per eos, à quibus leuamen, & auxilium sperare debebant; & qui fuerat illorum nutricius, esset eorum carnifex, nutrimetum in capitalem sententiam commutans. Theodoretus ait quaest. 32. Filij Achab interfectis, non ab hostibus, sapienter Iehu dixit populo. Annon ira à Deo immissa, quæ necessarius, & sanguine inunctis visus est administris?

Ingens poena vt ille, à quo delicias sperabat, sit in tormentis.

4. Reg. 10.

3. Reg. 21.

Theodot.

32.

Castigatio magnatum, erudito per pulorum.

33.

Thren. 1. Chald.

Ait Ierem. Threnor. 1. num. 13. De excessu misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Ex radice Chaldaicæ legitur: Misit ignem in fortibus meis, in robustis

robustis meis. Et merito, nam ossa sunt partes fortes, & robustæ totius corporis, per hos autem fortes intelliguntur potentes, ac principes reipublicæ, ad quid tamen misit ignem suæ indignationis in eos statim Propheta explicat. Et erudiuit me. Si Principes ac Dynastæ castigantur, populi instruuntur, ac bene informantur, & erudiuntur. Propheta enim totius populi personam agebat, principum castigatio, populorum est disciplina. D. Paschasius ibi: Bene, ait, in ossibus meis, ignis missus dicitur, vt omnia Iudæorum, quæcumque fortia esse videbantur interius, exteriusq; possessa, flagellis erudiantur; vnde subdit: erudiuit me. Ex igne autem misso in potentes vis videre, quantum ipse eruditus fuerit; perpende verba, quæ subdit: Expandit rete pedibus meis, conuertit me retrorsum. Ille ignis missus in potentes extitit ei tanquam rete quoddam, quo eius pedes ligati sunt, ne ruerent in malum, & vt retrorsum ad Deum suum rediret, ac adduceretur. D. Thomas: Expandit rete, quo à peccato retraxit. Cardinalis Hugo: Conuertit me retrorsum ad se ipsum, qui eram ab eo auersus per peccatum.

Paschas.

D. Thom. Hugo.

34. Zach. 11. Hieron. Vatabl. Hugo. Ruina magnorum fit eruditio minorum.

Pelusiota.

35. Celada.

Qui fugit in uos, eos sibi appropriat.

Apul.

Suum lucem facit, qui vult vt & alij illa fruantur.

Ait Deus per Zachariam 11. n. 2. Vlula abiit, quia cecidit cedrus, quoniam magnificati vastati sunt. Ait, vlula, hoc est, vt explicat D. Hieron. Iuge, plora præ dolore. Abies, vt exponunt Vatablus, Hugo, significat minores, ac inferiores. Cui tamen his mandatur, vt præ dolore lugeant, ac deplorent, subdit statim ratio, quia cecidit cedrus. Magnificati nempe vastati sunt. Quia cum magni tuant, minores gemunt, maiorum enim casu multa eruditione informantur minores, vt timeant, multisque lachrymis delicta deplorent, ab illisq; omni conatu fugiant, cautique reddantur. Isidorus Pelusiota relatus in Glossa: Fortibus cadentibus, ait, erudiuntur, ac castigantur, quæ sunt imbecilliora.

QUESTIO V.

Quare Luna obscurabitur, & non dabit lumen suum?

APIENTER notat R. P. M. Celada tom. iii Tobias, cap. 1. §. 48. n. 3. modum dicendi D. Matth. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Si enim Sol obscurabitur, profectò plenum est, quod & Luna obtenebrabitur; Luna enim à Sole lumen suum scenerat, vnde necesse est Sole obtenebrato Lunam pariter infuscari. Cur ergo, quasi proprium lumen Luna adscribitur, cum à Sole sit mutuatum. Luna non ambioso obsequio, sed generoso recessu quasi dignitatis refuga lumen à Sole negotiatur. Nam, vt ait Apuleius in lib. de Deo Socratis: Luna quanto longius abit à Sole, tanto largius illuminatur. Confulcissimè ait Euangelista: Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum; qui enim alienos fulgores participat non importuno obsequio affectando, sed fugiendo, inde maximè condecorus, ac illustris apparet, vt ita ipsos fulgores sibi appropriet, & sui potius, quàm alieni videatur. Deinde dico: Luna participat Solis splendores, non ad ipsum Solem appropinquando, quasi velit omnes illius radios in se imbibere, sed ab ipso Sole fugiendo, dans locum, vt alij illius radij illuminentur, & qui tam generosa indole pollet, vt sic luce

Solis gaudeat, vt velit, quod & alij illa fruantur, ipsum Solis splendorem merito sibi appropriat, & suum facit.

36.

Ad quaestionem. Primò. Tanquam magnum portentum, ac horrendum prodigium præter vniuersum rerum ordinem dicitur, quod Luna non dabit lumen suum; quod explicans Caietanus ait: Hinc significatur, quod Luna habens lumen suum non dabit illud, non dicitur, Luna non habebit, sed non dabit lumen suum. Nam vt explicari quaest. 1. Sol, & Luna habebunt suam lucem in suo corpore, tamen per suspensionem diuini concursus non illuminabunt, nec suam lucem emittent, quo fient densissimæ tenebræ. Ecce magnum, & ingens prodigium, quod Luna constituta sit, vt præesset nocti, habeat in se lumen suum, & aliis benefice non præbeat. Quodnam maius portentum, ac prodigium præter vniuersum rerum ordinem, quam quòd Luna constituta in præsidendo munere, habeat lumen, quo se illustret; & alios luendo largè illuminet, & lucis, ac influentiarum ope foueat: tamen aliis luminis solatium ac influxuum largitatem non concedit, ac impertit, & illis omnino negat. Vide supra cap. 5. num. 112. 113. multa vide verb. Communicare.

Caietani.

37.

Secundò. Vt ait Ioannes in Apocal. 6. num. 12. Et Luna tota facta est sicut sanguis: repræsentans cruorem; & stragem impiorum ob sanguinem Christi ab eis vel effusum, vel neglectum, & spreum. Item ob effusum sanguinem martyrum præsertim Parentis Eliæ, & Henoch, ac aliorum fidelium sub Antichristo. Tertiò. Luna fiet rubea, vt videatur quasi pudore vultus sui, de turpissimis, & atrocibus hominum sceleribus, noctu præsertim, cum luce Luna, in lætis, & tenebris perpetratis erubescere; & quòd huiusmodi scelera sub noctis tenebris, quibus præest, absconderit, & occultauerit, vt licentiosius homines peccarent, & delinquerent.

Apoc. 6.

Erubescit Luna de peccatis ipsa præstare contra missis.

38.

Quartò. Luna vertetur in sanguinem. Lunæ conditio, ac genium illuminare, & tamen vertetur in sanguinem atrum, & obscurum contra suum naturalem cursum. Homines suis delictis, ac peccatis immutarunt debitum ordinem naturæ, inde merito ipsa natura contra eos insurgit, totam se immutat, ac varians. Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrhiam, sulphur, & ignem, Genes. 19. num. 23. Aliis in locis sæpe dicitur: Cecidit ignis à Domino, vt 3. Regum 18. num. 38. vel, descendit ignis de celo, vt 4. Regum 1. num. 12. & similiter sæpe aliis in locis. Cur ergo super Sodomam dicitur, quòd pluerit Dominus ignem? Diffunditur pluuia, ne rore suo fecundet terrarà, quia verò homines delinquendo naturæ congruentem vsum reliquerunt, ideo aueritas pluuia, qua omnia fecundantur, eis conuertitur in ignem comburentem, qua cuncta deuantantur, ac deuorantur; fauet Innocentius III. lib. de contempl. sæculi, cap. 25. Non misisse, ait, dicitur, sed pluisse ignem, quatenus ipso verbo magnitudinem, & abundantiam poenæ notaret.

Genes. 19.

3. Reg. 18.

4. Reg. 1. Homo delinquit quando immutat naturam, & natura contra eum immutatur.

Innoc. III.

39.

Quintò. Luna vertetur in sanguinem. Sub Lunæ luce totas noctes deliciis luxuriæ, gulæ, potationis, ac crapulæ pertraxerunt homines, inde merito Luna tota sanguinea apparet, vt eos terreat, minacique vultu illis magna supplicia denunciet, vt Luna, quæ ad delicias inseruierat, inseruiret etiam, & ad poenam. Israelitæ Babyloniorum armis oppressi ab Osea 10. num. 8. introducuntur, dicentes: Adonibus, operite nos, & collibus, cadite super

Osea 10. super

super nos. Cur visis crudelibus hostibus Babyloni-
norum crudelitatem præcurrunt, vt eam obnixè
à montibus petant, & expectentili montibus co-
luerant demones multis vitiis gulæ, crapulæ, ac
luxuriæ se se exercitantes, & vbi tot abominatio-
nibus fœdatis suat, inde superno impulsu extre-
mam ruinam, ac interitum sperare coguntur. Ele-
ganter D. Cyrillus ibi: Dicent, ait, montibus illis, &
collibus, in quibus idola colebant, cadite super nos, an-
ticipate crudelitatem Babyloniurum.

Cyrill.

40.
Ezech. 9.

Ait Ezechiel. 9. num. 2. Ecce sex viri veniebant
de via porte superioris, qua respicit ad Aquilonem, &
vnusquisque interitus in manu eius. Cur ab Aquilo-
ne contra Israel tantum panditur malum, non-
ne Dei Amasia aliquando dicebat: Surge Aquilo,
perfra hortum meum. Quomodo ergo ab Aquilo-
ne tota pernicies, & deuastatio? Ait idem Pro-
pheta antecedenti cap. 8. num. 14. Introduxit me
per ostium porte domus Domini, quod respiciebat ad
Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangen-
tes Adonidem. Ad flatum Aquilonis innumera
fœminæ constituerant sedem suam, vt non solum
summa idolum Adonidem adorarent, sed
etiam, vt ibi illius mortem deplorarent, inde er-
go à flatu Aquilonis euolat exercitus Angelicus
vniuersum populum vastaturus. Idem enim veni-
ti flatus, qui ministrauerat sceleri, & supplicium
debet repræsentare, nec fieri potest, quod suppli-
cium non inueniat aditum, qua via scelus intra-
uit. Theodoretus, Cum ab Aquilone, ait, & idolum
positum esset, & mulieres Thammum lugerent, ne-
cessario inde supplicium reperit additum.

Sub Aquilo-
ne erat pec-
catum, & in-
de porta vo-
labat.

Theodor.

QVÆSTIO VI.

Quare stellæ dicantur cadentes de celo?

41.
Origenes.

DIFFICULTATEM huius quæstionis
proponit Origenes tractat. 30. in Matth.
Stellæ cadent de celo, ait, quomodo ergo ca-
dent de celo, cum magnitudinis earum non sufficiat
terra? Siquidem totus terrarum ambitus valde
angustus est ad capiendam stellæ cuiusuis im-
mensam molem, quæ pluries vniuersæ terræ spa-
rium excedit: quomodo ergo potest stare non
vnam dumtaxat, sed simul plures casuras fore?

Difficultas
quæstionis.

42.
Sensu litte-
rali.

Sensum literalem huius difficultatis ante om-
nia propono. Primò. Stellæ sub mundi finem sic
obscurabuntur, vt videantur hominibus è celo
excidisse. Sæpe enim Scriptura loquitur de rebus
non prout in se sunt, sed prout apparent homini-
bus. Ac proinde non astra cadent, sed astrorum
lux, non enim in celo micabunt. Vnde ait Ioël. 3.
num. 15. Stella retraxerunt splendorem suum. Ita ex-
plicat D. Hieronymus, D. Paschasius, Beda,
D. Thomas, Carthusianus, Caietanus, Iansenius
& alij.

Ioël. 3.
Hieron.
Paschas.
Beda.
D. Thom.
Caietan.
Iansen.

43.

Secundò. Stelle cadent. Hoc est Cometæ, ac
congelationes quædam stellis similes, quæ in æ-
re gignuntur, tunc ex eo in terram decident. Col-
ligi videtur hic modus dicendi ex Ioële 2. n. 30.
Dabo prodigia in celo, & in terra sanguinem, &
ignem, & vaporem fumi. Et est de mente D. Augu-
stin. lib. 20. de ciuitate cap. 24. ad alias sententias
deueniamus.

Ioël. 2.

August.

44.
Chrysof.
Euthym.
Maldon.

Tertiò. D. Chrysostronus, Euthymius existi-
mant in fine mundi stellæ verè de celo casuras,
quorum sententiam approbat Maldonatus di-

rens: Magis Christo id affirmanti, quam Aristoteli
neganti fieri posse, credendum esse arbitror. Nam cum
creata sint omnia propter hominem, ipso defi-
ciente, & illa deficient, vt ponderat D. Chrysof-
tomus homil. ad Neophit. adducens illud Isai. 34.
num. 4. Et tabescet omnis militia calorum, & de-
fluat sicut defluit solum de vinea, & de ficu. Sic ait
sanctus Doctör: Sicut vites, cum vuarum fructibus
prægranantur, foliorum auxilium necessarium, vt
proteantur, exposcunt: cum autem deposuerint fru-
ctum, necesse est, vt etiam folijs denudentur, sic se ha-
bet hoc seculum, quandiu habuerit in se humanum
genus, tenebit & caluam stellæ, sicut & vitis folia. At
noctè pereunte, sine dubio stellarum utilitas simul,
cum noctè deficiet.

Chrysof.
Isai. 34.

Quartò. In hac sententia Chrysostroni, quòd
verè stellæ cadent, magna insurgit difficultas.
Vnaquæque stella superat magnitudinem vniuer-
sam terram, quomodo ergo dici potest, non vnam
stellam, sed plures casuras in terram; nam quam-
uis nitantur cadere, non datur locus, qui eas va-
leat excipere. Non mirum sanè, nam cum stellæ
incipient ruere è celo, à casu non desistent, donec
in profundissimum etiam impossibile præcipi-
tentur. Qui enim semel cecidit tanto impetu fer-
tur, vt omnem naturam rerum vincat, & descen-
dendo deueniat ad locum, quem alias attingere
non poterat: sic calorum stellæ in terram cadent,
& quamuis totus terrarum ambitus ad magnitu-
dinem vnius stellæ excipiendam non valeat, ta-
men casus impossibilia intentat, & vltra naturæ
vires præsumit profundius cadere. Cùmque
Aman teneret equum Mardochei, qui regio
ornatu in eo ferebatur, & lugens reuersus esset
in domum suam, & consilium iniens quid ab eo
agendum esse, responderunt Consiliarij eius.
Si de semine Iudæorum est Mardocheus, ante quem
cadere cœpisti, non poteris ei resistere. Esther 6.
num. 13. En leuis inclinatio Aman grauioris ca-
sus omen extitit, & infaustum augurium vltorio-
ris ruinæ fuit, & quòd cùm esset iam aliquantu-
lum inclinatus, quod minimè consisteret, quo
vsque ad extremum, & vltimum rueret.

45.
Chrysof.

Qui capie
cadere non
sistet, quo vs-
que ad vlti-
mum ruat.

Esther 6.

Quintò. Haymon in cap. 6. Apocal. num. 13.
Stellæ cali, ait, sancti sunt, qui in tenebris istius vi-
ra lucent, veluti in firmamento stellæ, qui tunc vti-
que de celo cadent, quando sub illa persecutione vali-
dissima à fide recedent, qui prius fide recta, &
operibus iustis videbantur lucere, in terram cadent,
quia terrenis delectationibus inharcbunt, & ex ipso
amore terreno ad iniquitatem ruent: Stellæ, qui-
bus denotantur viri sanctitate fulgentes in ter-
ram cadunt, & quomodo à culmine sanctitatis
in infima prolabantur? Cùm à iustitia recedunt,
sèque vitiis terrenis implicantur, statim à culmi-
ne perfectionis in extremam, ac infimam mise-
riam ruunt.

46.
Haymon.

Ex terreno-
rum affectu
inisti à sua
perfectione
cadunt.

Sextò. Cardinalis Ioannes Vitalis, in speculo
morali sacræ Scripturæ, Titul. de Religione, per
stellas intelligit Religiones, qui se per vota so-
lemnia Deo consecraverunt; nam Religio sancto-
rum cœtu, radiisque exemplorum, sanctitatis,
ac doctrinæ maximè fulget; sicut cælum micantibus
stellis nitet. At si huiusmodi religiosi à
sua perfectione decidunt, vt ait cit. Cardinal.
Flante, & impellente, & conuassante istas stellæ
vento tentationis, ambitionis, diuisionis cecidi-
mus euidenter de statu perfectionis ad terram infi-
mam. Alludit ad locum Apocalypf. 6. num. 13.
Et stellæ de celo ceciderunt super terram. Cur ta-
men

47.
Ioan. Vital.

Religiosi cum
deiciant à
virtute in
pessima cri-
mina labun-
tur.

men huiusmodi stellæ, religiosi nempe non di-
cuntur cadere in regionem ignis, vel in aërem, vel
mare, sed in terram: Inter omnia est infimum,
& vltimum elementum. In hoc ergo stellæ ca-
dentes ruunt, vt denotetur, quòd si religiosi à
virtutis tramite deuiant, non in qualibet, sed in
pessima omnium crimina labuntur.

84.
Origenes.

Septimò. Origenes homil. 30. in Matth. Sic
autem permarcescente Stellarum lumine, reliquum
earum corpus crassius factum, vt non valeat exaltari,
sicut prius, cum à lumine ipso portatum exaltabatur
cadet de celo. Magno examine pondera. A lumine
ipso portatum extollebatur. Stella suo splendore, ac
lumine portatur, extollitur, & altissimis cœli cul-
minibus valde fixum firmatur. Cùm ergo à suo
lumine, splendore, ac etiam benigna influentia
in inferiora deuiat, inde cadit, & per infimam
terram volutatur. Sic sanè homines cum suo offi-
cio, ac dignitate fulgentes cœlo adherent, cœli-
que affiguntur culminibus; At verò si à suo splen-
dore, munere, officio, ac congruenti operatione
cessant, statim præcipiti casu ruunt, pereunt, &
idem habenter, ac si non essent.

Qui cessat à
sua operatio-
ne benefaci-
di, idem est
ac desinere
esse.

49.
Hebr. 1.
Plal. 101.

De cœlis, inquit Paulus ad Hebr. 1. n. 10. &
Dauid Plal. 101. num. 26. Tu in principio Domine
terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt
cœli. Ipsi peribunt; tu autem permanebis, & omnes
vt vestimentum veterascent. Constans est commu-
nis sententia, quod cœlorum corpora sint incor-
ruptibilia, & non interitura, quomodo ergo de
eis dicitur, quod sint transitori, ac perituri. Beda,
Caietanus, Iansenius ad hoc cap. 24. Matth. affir-
mant, quod per has locutiones, cœli peribunt, &
velut vestimentum veterascent, non denotatur,
quod cœli secundum suam substantiam muten-
tur, sed quod ab statu motus, ac influentiæ, quam
nunc habent, in alium quietum, ac immobilem,
in quo omnis operationis, ac motus erunt expect-
tes, sint transitori; cum ergo à sua operatione,
motu, ac benigna influentia cessent, & quies-
cant, sic reputantur, ac si omnino perirent, &
desinerent esse, & penitus aboleretur.

Beda.
Caietan.
Iansen.
Dicendum est
perisse, qui
ab officio ad-
ministrandi
cessat.

50.
Tertull.

Deum otiosum absque alicuius operationis en-
tra fingeat Epicurus, contra quem rectè argu-
mentatur Tertullian. lib. aduers. Gent. cap. 2. Qua
ita sunt, ait, Deum Epicuri otiosum, & inexerci-
tum facimus, & vt ita dixerim neminem. Rectè qui-
dem Deum otiosum, neminem, nam qui otiosum,
& ignauium Deum fingit, suam non curantem,
nec creaturis à se formatis prouidentem, idem
omnino, ac neminem facit, & fingit: cum con-
ditotis sit (vt ait Iobius Monachus in Commenta-
rio de Verbo Incarnato lib. 3. cap. 11. apud Pho-
tium in Bibliotheca) suam creaturam nosse, illi-
que media congrua ad salutem, & vitam prouide-
re.

Qui Deum
otiosum fra-
gebat, idem
est ac nemi-
nem esse fin-
gebat.
Iob. Monac.

QVÆSTIO VII.

Quare Sol, & Luna viduantur suo lumine
adherentes Cælo, Stellæ verò
dicuntur cadere?

51.

APPROPINQUANTE finali iudicio, Sol, &
Luna, etsi obscurentur, in cœlo tamen,
ac in suo loco manent, Stellæ autem è
cœlo in terram cadere dicuntur. Nonne satis

erat, vt cum Sole, & Luna pariter infuscarentur?
Quid deliquerunt Stellæ, vt de cœlesti earum
patria dimissæ, in terris cogantur exulare?

Respondeo primò. Quia vt scribit Ioannes in
Apocalypf. 6. num. 12. agens de signis ante fina-
le iudicium: Sol factus est niger tanquam saccus
cilicinus, & Luna facta est tota sicut sanguis, &
stellæ ceciderunt super terram. Ex dispositione diui-
na sic ordinatum est, vt in illa obtenebratione
rerum, adhuc ad maiorem horrorem Sol appa-
ret niger, & Luna tota sanguinea; At Stellæ
nullo modo videbantur, sed ita erunt obtenebra-
tæ tanquam è cœlo cecidissent, vt dixi superiori
quæst. in 1. solutione.

Secundò. Hanc rationem moralem sic propo-
no; & ad illam suppono id, quod dicitur Gen. 1.
num. 16. Fecitq; Deus duo luminaria magna, lu-
minare maius, vt præset diei, & luminare minus,
vt præset nocti; & stellæ, & posuit eas in firma-
mento cœli. Quæ verba ponderans D. Anastasius
Sinaita lib. in Hexamer. sic ait: Perterribile au-
tem omnino, & occultum mysterium, Stellæ quidem
supra per iussu Deo creauit in firmamento: Solem
autem, & Lunam, cum per se super terram tanquam
Adam, & Euam esset fabricatus, postea eos in
altum sublatis posuit in firmamento. Anastasius hoc
discrimen constituit inter locū, in quo Sol, & Lu-
na creati sunt, & eum, in quo Stellæ sunt conditæ.
Quod Sol, & Luna in terris formati sunt, & ob
eorum excellentias, velut cœlesti sede muneratis,
in cœlum creator transtulit. Secus verò Stellæ in
firmamento creatæ, ibi vsque ad diem iudicij
dicuntur fixæ permanete. In primordiis rerum
omnium Autor Deus, magna in ipsis rebus natu-
ralibus dabat nobis documenta; & in illis mag-
nam nobis eruditionem inculcabat. Sol, & Luna
quamuis in terris creati, tamen ob eorum excel-
lentem splendorem, adumbrantes eos, qui meri-
tis resplendent, in cœlis collocantur; & in illis
stellæ resident in cœlo, vt in loco suæ natiuita-
tis, quem tanquam ex natali partu possident. In-
de ergo in finali rerum permutatione, ac altera-
tione licet Sol, & Luna obtenebrentur, tamen
fixi permanent in cœlo, stellæ verò præcipiti
casu ruunt. O mystica de re inanimata eruditio,
terrenisque hominibus valde peridonea, & mor-
talissima sub astrorum typo, si enim ipsi tanquam
Sol, & Luna ex merito adumbrato, ac significato
in altum feruntur quacumque rerum commotio-
ne, ac perturbatione firmi, & securi persistent;
At verò si ex natali partu obtinent, fieri potest,
vt ruant, & cadant.

52.
Apocal. 6.

53.
Gen. 1.

Anastasi.

Obtenta ex
meritis persi-
stunt, ex na-
taliis trans-
seunt, &
ruunt.

Duas reginas copulatas inuenies Regi Assuero
in matrimonio coniunctas Vasthi, & Esther.
Vasthi in festiui conuiuij gaudio expellitur à re-
gia dignitate. At verò Esther in magna perturba-
tione rerum pendente edicto, vt omnes Iudæi
interficerentur, firma, & securi in regno per-
sistit. Cur illa sic cadit, hæc verò ita firmatur?
Vasthi filia erat regis Balthasaris regis Chal-
dæorum, de quo Daniel. 5. vt tradunt Hebræi,
vel vt suspicatur Seratius, filia erat antiquiorum
regum, ac proinde ex regali natalitio euocata
est ad regnum. At verò Esther 2. num. 5. intro-
ducta est ad regnum ob pulchritudinem non solum
externam, sed etiam internam. Erat enim
formosa valde, & incredibili pulchritudine; om-
nium oculis gratiosa, & amabilis valde. Quæ ver-
ba sic commentatur Carthusianus: Pulchritudi-
nem illam corporalem venustatis, & auxilij mirabili-
liter

54.
Esther 1.

Dan 5.
Hebræi.

Esther 2.

Carthuf.